BREVIS PHRENOLOGIAE EXPOSITIO CASPARIS MORO OPITERGINI

Gaspare Moro

Brevis Phrenologiae expositio

GASPARIS MORO

Opitergini

Medicinae Lauream assequentis

Patavii

Typis Penada

MDCCCXLII.

Dilectissime Pater!

Verum est quod optima institutio magis filiorum animos erga parentes devincat quam ortus. Hac die mihi auspicatissima, qua munus secundae vitae, quam a Te repeto, adimpletur, meam laetitiam mente volvere nequeo, quin grato animo tuum amorem, tuas sollicitudines totque tua beneficia pervolvam; utque, quae sentio, perenne signum in memoriam reducat, nomen tuum peramatum primo studiorum meorum specimini adjicere duxi. Muneris mei exiguitatem ne respicias, sed, juvenilibus infirmis viribus indulgens, mentem offerentis, Teque precor ut filii nisus uti pignus meae dilectionis nunquam defuturae accipere velis. Vale.

I «Auditis testibus pro et contra, visa facie et examinato capite, ad furcas damnamus»
II «Auditis testibus pro et contra, reo ad denegandum obstinato, visa facie et examinato capite, non ad furcas, sed ad catenas damnamus.»

Mascarus judex criminalis

Inter omnia arcana phaenomena vitae, quae magis physiologorum mentem agitarunt, sunt certe mentalium facultatum manifestationes. Psychologi, medici complures de hoc argumento disserere conati sunt, sed nil praeter ambages protulerant. Illi enim ut hasce facultates explicarent mysteria metaphysica tantum ediderant, hi mentis exercitium materiale tantum opus arbitrati sunt; dum alii, quamvis summo ingenio donati, prae judiciis indulgentes, theoriis, licet philosophicis, de hocce argumento prolatis omni nisu adversati sunt, talique ratione psychologiae rationalis progressus valdopere retardarunt — Hac ratione, quamvis Magendie concedat, quod facultates intellectuales iisdem legibus obediant ac aliae functiones, dein quam de Phrenologia sermonem habeat sequentia profert: «La phrénologie, pseudo-science des nos jours, comme étaient naguère l'astrologie, la nécromancie, l'alchimie, prétend localiser dans le cerveau les diverses sortes de mémoires; mais ses effort se réduisent à des assertions, qui

ne soutiennent pas un instant l'examen. » Attamen phrenologia est cerebri physiologia, quae probabilius veritati respondet, quae, recte instituta, summa luce admodum obscurum argumentum illustrare valebit.

Diximus quod phrenologia sit physiologia cerebri, in hac cerebrum uti organorum complexus ducitur, quae variis facultatibus dicata sunt.

Quamvis haec methodus physiologici studii encephali ab antiquioribus procedat aetatibus, Gall communiter consideratur uti istius systematis inventor. Revera veteres, hypothesibus solummodo non experientia ducti, huic studio operam dederant, ipsorumque via philosophiae leges non est sequuta. Ita verbi gratia sensum communis sedem anterius posuerunt ex eo solum quod ibi et nasus et oculi adsunt: atque memoriam in cerebello existere putabant, uti in cellario, quo cognitiones omnes colligantur et disponantur donec adhiberi possint. Inter veteres, qui phrenologiae viam sternere conati sunt, J. B. Porta excellit, qui in suo libro « de humana physiognomia» indicia profert systematis Gall non modo sed etiam Lavater

J. J. Gall a prima juventute attente fratrum suorum propensiones, studia et mentis evolutionem perpendens, observavit quod quisque peculiaribus distingueretur characteribus: dein suis studiis incumbens, advertit quod condiscipuli, qui prae ipso in schola excellebant memoria valde activa donabantur, et constanter

oculos prominentes offerebant. Observationem in posterum pluries instituit, atque ex hac constante oculorum prominentia in illis, quorum memoria excellit, systema cranioscopicum fundamentum sumpsit; ipse enim deduxit quod, si memoriae praestans evolutio externe characteres ostendat, aliae quoque facultates hisce indiciis perspicuis carere nequeant. Tali pacto attento examini subjecit omnes, qui inclinationibus aut ingenio peculiari distinguebantur, et ita, experientia duce, suae theoriae basim constituit.

Temporis progressu J. G. Sporzheim cranioscopica studia amplexus est, et systema perfectius reddidit praesertim quoad nomenclaturam et cerebri organorum numerum; nec parum schola phrenologica Edimburgensis et Parisiensis huic physiologico studio encephali profuere.

Craniologia, cranioscopia, phrenologia, cephalologia, cranognomonia, organologia idem sonant, eundem enim scopum habent; studium nempe functionum cerebri illiusque organorum.

Phrenologiae cardines sequentes sunt - Spiritus et corpus stricte nectuntur. Quidam enim corporis morbi in animum influunt. Cerebrum est immediatum spiritus organon; est ergo considerandum uti instrumentum materiale manifestationum intellectus. Nervi sensationes ferentes intime cum cerebro nectuntur. Quae exposuimus firmum fulcimen obtinent statim ac consideremus quod, nisi cerebrum praedi-

etis functionibus praeesset, unicum tot inter organa, nobilissimam summaque solicitudine defensum, nulli functioni inserviret.

Quum jam statutum sit quod encephalon organon materiale mentis constituat, nunc quaerendum an cerebrum haberi debeat uti organorum complexus, quorum singulum peculiari functioni dicatum sit, vel uti organon unicum, intelligentiam considerando uti indivisibilem facultatem. Hac sententia relicta, prima est amplectenda, quod mentis facultates non eodem tempore adpareant, sed diversis vitae periodis evolvantur: quod genius encyclopedicus non sit; quod in somniis haec vel illa mentis facultatum vigeat, dum aliae silent, quod certe non contingeret si organon unicum diversis hisce manifestationibus praeesset; quod in monomaniis haec facultas aberret vel silent dum aliae normales sunt; et denique quod morbi cerebri partiales, ex. gr. vulnera, non omnium facultatum mentalium laesionem inducant. Si ergo est cerebrum facultatum intelligentiae agens, illius partes totidem organa sunt distinctis functionibus mentis dicata, ea prorsus ratione, qua variis externis sensibus diversi praesunt nervi, eoque pacto, quo fibrae motrices et sensibiles nervorum a physiologis distinguuntur.

Hisce positis, Gall facultates et inclinationes innatas admittit, idque sequentibus probat argumentis:

a) animalia in lucem vix adita, nulla institutione praemissa, actus exerceant plures, etiam

priusquam concipere possint an individuali faveant conservationi vel non;

b) pueri, eadem quamvis ex familia prodeuntes, eadem schola instituti, iisdem circumstantiis et agentibus exposti, easdem impressiones passi, diversam tamen evolutionem facultatum mentalium offerunt, diversas animi inclinationes.

c) animalia quoque facultates, habitudines, mores differentes proferunt, quamvis nulla institutione donata, quamvis iisdem agentibus externis sensus expositos offerant

Hisce legibus praemissis facile consequentia deducitur. Quodvis organon, cujus actio intensior sit, majus volumen praesentat; exercitium organi alicujus ipsius massam adauget: idem repetendum de organis encephalicis peculiaribus facultatibus dicatis. Praeterea theca cranialis ossea ex cerebro formam repetit, non cerebrum ex ipsa, idque nos monet thecae osseae formatio, quae post cerebri evolutionem contingit: ergo certum est quod, forma et volumine cerebri illiusque partium mutatis, etiam externa cranii forma differre debeat. Hinc ex varia forma externa cranii encephali formam inducere possumus, organa magis evoluta agnoscere, atque facultates et propensiones detegere, quae, quam ab iisdem organis adimpleantur, ceteris excellunt. Denique differentes combinationes et gradus vigoris horum organorum summam varietatem inducunt, quae in sensibilibus entibus occurrit, quoad propensiones et manifestationes facultatum intellectualium.

*

Homo ergo in lucem prodit facultatibus peculiaribus praeditus, quae exercitio perfectiores evadunt. Hae facultates sensuum ope cum mundo externo nectuntur. Sensus ergo nil aliud sunt nisi communicationis instrumenta, dum facultates solummodo, de quibus superius, externa aestimare, judicare, agnoscere possint, et ideas praebere easque rationis imperio submittere. Plures harum facultatum et animalia et homines possident; quaedam vero hominis solum propriae sunt, et inde ceteris omnibus hic antecellit. Ratio, ex dono emergens quarundam harum facultatum, quae hominis tantummodo sunt, illius actionibus moralitatem tribuit, quamobrem vel praemium vel poenam pro variis circumstantiis meretur.

Recentiores juxta observationes phrenologicas facultates animo tributae in quatuor ordines praecipuos dividuntur. Primus ordo instinctus comprehendit aut facultates affectionis, quae ad hominem et ad animalia pertinent et undecim sunt. Secundo ordine sensus sive facultates morales consideramus, quarum duodecim numerantur. Ordines postremi comprehendunt facultates perceptionis, quae animalium quoque propriae duodecim sunt, et facultates cogitationis, quarum duae tantum noscuntur, quasque homo exclusive possidet.

Instinctus in partibus resident inferiore media-posteriore et inferioribus lateralibus cerebri. Facultates sensus a circumvolutionibus pendent superioribus lobi medii cujusvis hemisphae-

rii. Perceptiones ab organis manifestantur antero-inferioribus encephali. Cogitantes facultates segmentum perficiunt antero-superius encephali. Ordo, quem pro variis aetatibus harum facultatum evolutio sequitur, sequens est. Instinctus in utero formantur: dein, puero vix nato, perceptiones: aetate juvenili sensationes prae ceteris vitae periodis activitate gaudent: ultimo cogitationis facultates evolvuntur.

Gall admisit viginti septem facultates fundamentales, nunc triginta septem agnoscuntur; ex hoc quidam phrenologiam respnont dicentes quod nemo numerum facultatum majorem non esse affirmare valebit. Licet vero haec oppositio veritati respondere possit, id existentiae et sedi facultatum hue usque cognitarum non adversatur.

Facultas uti primitiva haberi potest:

1. quum constanter per se agat et proprium organon habeat;

2. quum in hac animalium specie observetur, in illa desit;

3. quum in sexu alterutro ejusdem speciei differat;

4. quum nullam offerat proportionem cum aliis individui facultatibus;

5. quum diversimode appareat sub salutis vel morbi statu, atque hunc statum sejunctim servare queat;

6. quum actionis et quietis alternationem praebeat;

7. quum organon huic facultati dicatum omnibus in speciebus animalium eodem instinctu gau-

dentium invematur, et in illis desit, quae istiusmodi facultatis nullum indicium praesentant;

8. quum simultanee cum alus facultatibus non evolvatur, sed serius ocyus per se;

9. quum perspicue a patre in filium transeat.

Quodvis organon uti conus inversus considerari potest, cujus basis encephali superficiem, apex substantiam cineream puncti originis, praecipue ad corpora pirsmidalia et olivaria, spectet. Si res ita se habeat, neminem latet, quod superficies externa organorum cerebralium evolutionem quoad latitudinem nobis indicare quodammodo valeat, dum longitudo a diametris diversis cerebri habetur. Juxta Sparzheim sententiam organi alicujus longitudo actionis frequentiam juvat, latitudo intensitatem.

Huicce explorationis methodo, a cranioscopia indicatae, parum adversatur oppositio, quod laminae osseae cranii parallelae non sint, atque ita quod eminentiae externae non procedant ex evolutione praestante internorum organorum; casus enim specialis universales non destruit, et praeterea distantia laminarum cranii vix octavam pollicis partem excedit dum protuberantiae, ex tuberibus phrenologicis pendentes, non raro pollicem aequiparant.

Organa cerebralia vero non modo ob massam, sed etiam ob peculiarem organisationis rationem vim suam exercent, quare in ultimo casu cranioscopia insufficiens visa est.

Broussais in sex classes capita dividit.

1. Capita, in quibus instinctus praevalent, deficientibus facultatibus intellectualibus est sensibus, malos effectus et crimina praesagiunt.

2. Sensibiles facultates prae instinctu et intellectu evolutae imaginationis phantasmatibus et superbiae favent.

3. Facultates intellectuales sive cogitantes praevalentes bonos promittunt effectus.

4. Perceptiones prae intellectu evolutae memoriae operibus inserviunt.

5. Evolutio mediocris omnium organorum nonnisi mediocritatem actionum permittit.

6. Evolutio summa unius facultatis dum instinctus, tum moralis, tum perceptionis, tum cogitationis extraordinarii entis propria est. Evolutio magni momenti facultatum quarundam perceptionis cum proportionata intellectus, sensuum et instinctuum evolutione genium constituit.

Quotiescunque examen alicujus cranii suscipitur, divisiones naturales instinctuum, sensationum, perceptionum et cogitationum concipi debent ut dein partiale examen organorum instituatur. Hic vero monendum quod natura regulares limites organorum in craniis delineatos non ferat. Sequentia quoque nunquam phrenologi mentem fugiant: a) cerebrum duobus hemisphaeriis constituitur, ergo in utroque latere eandem formam, easdem functiones eademque tubera offerre debet; b) organa, quae lineae medianae insistunt, uti organon simplex con-

sideranter; c) organa, quae vicissim sustinentur vel analogam functionem habent, proxima sunt, ita amor sexualis et amor filiorum, ita coloris, loci et numerorum relationes etc.; d) facultates, quae hominis sunt et animalium, in utrisque eandem occupant locum.

Quum latino sermone verba desint, quae exacte diversas facultates indicare valeant, cuivis facultati gallicum nomen adjiciendum esse censeo, ut uno verbo idea exacta habeatur, et melius phrenologorum mens intelligi possit.

Quum ad Organologiam stricte dictam accedamus, ordo primus instinctus comprehendit, qui et hominis et animalium sunt.

1. Biophilia, vitae amor et sui conservationis studium (*biophilie*); nullo prachabito judicio, pericula hujus organi ope vitantur. Hoc organum Vimont detexit; fossae zygomaticae, prope meatum auditus externum, infra musculum temporalem, respondet. Si valde sit evolutum rotundam faciem constituit.

2. Gula, potus et cibi desiderium (*alimentivité*). Georgius Combe hoc organum invenit. In fasciculis medullaribus residet fovene zygomaticae respondentibus, externe patefit extensione laterali capitis prae parte superiori auris, parallele cum angulo externo oculi.

Haec duo organa non ab omnibus phrenologis admittuntur.

3. Amor sexualis, physicus (*amativité*) in cerebello residet et externe cervici respondet. Hoc organum in pueris parum evolutum,

perfecte formatur a decimo octavo ad vigesimum sextum annum. Flourens, Magendie, Rolando cerebellum sedem motuum muscularium declararunt, id vero opinioni non adversatur phrenologorum, qui, Vimont duce, putant quod processus vermiformis hisce motibus praesit, quum hunc processum valde evolutum animalia rapido et continuo motu donata praebeant.

4. Philogenesia, filiorum amor (*philogeniture*) immediate super partem mediam cerebelli tuberi occipitali respondet.

5. Topophilia, habitationis amor (*habitativité*, *concentrativité*) observatur hujus instinctus organon super philogenesiam et sub sui aestimatione Feles hoc organon valde evolutum praesentant.

6. Amicitia, associationis instinctus (*adhesivité*, *affectionivité*) Posterius invenitur ad latera capitis, paramper supra philogenituras organon. Externe observatur sub forma sphaerae valde extensae, quum evolutionem altiorem attingat. Instinctum comprehendit ad circumdantia diligenda, cujusvis sint naturae; canis, qui dominum summo amore prosequitur, hoc organo bene evoluto gaudet.

7. Certaminis amor, defensionis sui ipsius et proprietatis desiderium, intrepidus animus (*combativité*). Organon, quod residet in parte inferiora et posteriora ossis parietalis, in strenuis et magnanimis viris summam evolutionem acquirit.

8 Destructionis, cladis, incendii deside-

rium (*destructivité*); hoc organon super meatum auditus externum observatur, anterius atque posterius aliquantulum se extendens. In satyricis auctoribus hoc organon necessarium est. Saevities est effectus evolutionis excedentis hujus organi. Sicarii atque homicidae, qui animo minime commoto tranquille sanguinem spargunt, magnam offerunt istius organi evolutionem.

9. Desiderium se hominum oculis subtrahendi, astutia, dexteritas (*sécrétivité*, *savoir faire*) residet prope limitem inferiorem ossium parietalium et distat ab aure circiter octodecim lineas. Modica evolutio hujus organi prudentiam gignit. Qui in artibus imitationis excellunt valde evolutum hoc organon habent, prae ceteris mimi et histriones. Hoc organon immodice evolutum, languentibus e contra intellectu et moralitate, astutiae favet. Prominet frequenter in furibus.

10. Proprietatis sensus, possesionis desiderium (*acquisivité*, *convoitivité*); organi sedes est angulus anterior et inferior ossis parietalis, habetur ergo super partem anteriorem organi praecedentis.

11. Fabricationis instinctus, architecturae studium, mechanica ars (*constructivité*). Hoc organon super os frontale habetur immediate super suturam spheno-temporalem. Hujus organi adspectus et situs pro varia aliarum partium evolutione aliquando differunt, in genere caput extendit in parte anteriore regionis frontalis.

Castor, aves aliaque animalia, quae suas habitationes condunt, hoc organon non desiderant.

Ordo secundus facultates sensationis colligit, quaedam et animalium sunt propriae, quaedam hominis tantum. In expositione nostra, quae et ad animalia pertinent primum occupant locum.

12. Sui metipsius aestimatio, superbia, auctoritatis studium, ambitus (*estime de soi*). Organon in occipitis vertice residet; angulo superiori et posteriori parietalium respondet. Hocce organon rite evolutum utiles effectus edit. Sui metipsius observantia exorta, juxta virtutis praecepta actiones exercentur; si hocce organon deest diffidentia insurgit in homine virium suarum; si vero excedat arrogantia, insolentia, superbia, invidia sequuntur. Non raro obtrectatio ex hac causa originem sumit. Inter animalia equi hoc organo valde evoluto distinguuntur. Quum organon ex aliquo morbo excitatur aegrotans se regem putat, spiritum coelestem, genium et sic porro.

13. Gloriae studium, ostentatio, vanitas, aliorum aestimationis cupiditas (*approbativité*). Hujus facultatis organon infra partem posteriorem et superiorem ossis parietalis conspicitur, praecedenti est proximum, atque ab illo a sutura sagittali sejungitur; posterius organon adest amicitiae, anterius conscientia, externe circumspectio. Haec facultas, uti sui ipsius aestimatio, egregia facinora promovet. Si desit nulla est publicae opinionis sollicitudo; si excedat abusus nascuntur. Hoc organon in fe-

minis majorem evolutionem ac in viris attingit.

14. Circumspectio, prudentia, cautela, praevidendi facultas (*circumspection*). Ex repetitis Gall experimentis habetur, quod organon prudentiae parti respondeat magis salienti ossium parietalium, in medio fere partis lateralis capitis, ea ferme regione, qua ossificatio parietalis ossis incipit. Timoris emotio ex hoc sensu habetur; evolutio hujus organi mediocris prudentiae favet, excedens vero dubia, perplexitatem, inertiam promovet. Hoc organum frequenter in pueris bene evolutum est, uti in quibusdam animalibus, quae inter lepus. Feminae saepissime hoc organon magis ac mares evolutum praesentant.

15. Benevolentia, mansuetudo (*bienveillance*); hoc organon occupat partem superiorem ossis frontalis immediate ante bregma, ut plurimum ea regione adest, qua capillitium incipit. Haec facultas etiam animalium propria est. Canes, equi, qui partem frontis respondentem elatam et extensam offerunt, pacifici sunt, illi e contra, qui hanc regionem depressam ostendunt, pravam indolem praesagiant. Populi crudeles, anthropophagi et saevi homines hanc depressionem praeseferant.

16. Theosophia, religionis sensus, veneratio, auctoritati obtemperantia (*vénération*); hoc organon in vertice capitis habetur, in parte centrali ossis frontalis, ubi angulo conjungitur superiori parietalium, ea prorsus regione ubi

bregmatis anterioris vestigia adsunt. Ex hoc organo adorationis facultas procedit; si excedat maniam religiosam juvare potest; si hoc organon bene sit evolutum et illud aestimationis sui ipsius depressum sit, humilitas succedit. Hujus organi defectus necessario impietatem non gignit sed devotionis et venerationis sensus debiliores reddit.

17. Perseverantia, constantia (*fermeté*); hoc organon in parte posteriore cranii in linea mediana inter venerationem et amorem sui conspicitur. Si nimis energicum sit pervicaciam promovet, si debile facile instinctuum impulsui individuum cedit.

18. Conscientia, sensus moralis Gall, justitia Spurzheim (*conscientiosité*). Hoc organon supra circumspectionem, infra constantiam, in parte posteriore et laterali cranii adest, eminentiam praesentat transverse extensam. Sensus moralis, justi et injusti ex hoc procedunt. Justitia hisce ex sensibus cum facultatibus intellectualibus bene evolutis pendet.

19. Spes (*espérance*) ante conscientiam, sub veneratione adest. Organon hoc a Spurzheim detectum est. Non omnes phrenologi spei organon admittunt.

20. Mirabilium et supranaturalium studium (*merveillosité*) in parte residet superiore anteriore et laterali cranii, et quovis in latere extenditur ad capitis verticem ita ut longiorem superius et quadratam frontem reddat. Spurzheim ducit quod haec facultas credulitatem

pro inspirationibus, aaspiciis, phantasmatibus ciet.

21. Ingenium poeseos (*idealité*): organon habetur prope lineam limitis inferioris sulci temporalis ossis frontalis. Haec facultas sensum praebet optimi et perfectum ideale. Bene est evolutum hoc organon in illis, qui bonis artibus operam navant, melius in popalis excultis ac in rudibus.

22. Jucunditas, hilaritas (*esprit gaité*) observatur in parte antero-superiore et laterali ossis frontalis. Epigrammatici hoc gaudent organo, si contentionis organon simul bene sit evolutum satyra habetur.

23. Imitatio, mimesis (*imitation*) in parte antero-superiore frontis, ad latera benevolentiae, mirabilium studium externe habet. Pueri, histriones, artistae hoc organon bene evolutum praesentant. Animalia quoque quaedam hoc organo gaudent.

Facultates intellectuales dividuntur in facultates perceptionis et cogitationis.

Ordo tertius organa comprehendit perceptionis. Quum homo harum facultatum impulsui satisfaciat oblectationem percipit, quae vero quoad gradum non aequiparat delectamentum ex sensu vel instinctu satisfacto redundans.

24. Rerum memoria (*individualité*) immediate supra radicem nasi insidet. Est etiam plurium animalium, idem de sequente dicendum.

25. Physiognomiae memoria, figurae sensus (*configuration*) in angulo interno orbitae invenitur; illius volumen distantia lateralis in-

terna oculorum indicat. Qui artibus imitationis dicuntur hoc indigent organo.

26. Extensionis, dimensionis cognitio (*étendue*) organon refert parti internae superiori arcus supraciliaris respondens, prope organon figurae, aliquantum vero superius et externe.

27. Ponderis, resistentiae cognitio, in genere sensus vis (*pesanteur* et *résistance*) parti externae respondet organi praecedentis. Duo organa super relata dubia sunt.

28 Coloris cognitio, picturae ingenium (*coloris*) hujus facultatis organon in medio arcus supraciliaris, intra resistentiam et ordinem, est.

29. Memoria loci, memoria topica (*localité*) in parte antero-inferiori frontis, ad latera lineae medianae, aliquantulum externe hoc organon observatur, inferius angulum internum arcus superciliaris habet. Haec facultas topographiae, geographiae, astronomiae fundamentum est. Quaedam animalia classium etiam inferiorum hocce organo donantur.

30. Ordinis, symmetriae ingenium (*ordre*) in parte externa arcus supraciliaris inter coloris et calculi facultatem: organon est incertum ut et organon calculi.

31. Numerorum cognitio, calculus (*nombre, calcul*) inferiori extremitati supracilii insidet, aliquantisper supra angulum externum oculi; mathesis ex hoc organo pendet. Non adhuc compertum est an animalia hoc organum possideant.

32. Phaenomenorum sensus, rerum gestarum memoria (*eventualité, éducabilité, perfectibilité*). In parte media frontis. Etiam animalia inferiora hoc organon habent, idem dicendum de duobus sequentibus.

33. Temporis, rhythmi musices sensus (*temps*) super organon coloris ad latera frontis.

34. Musices ingenium, melodia (*tons*) supra cristam observatur, qua anterius insertionem limitat musculi temporalis, quamobrem latera versus frontem extendit.

35. Verborum memoria, linguarum studium (*langage*). Hujus organi evolatio ab oculis prominentibus, inferius depressis, bovis oculos simulantibus indicatur. Tali facultati inserviunt encephali circumvolutiones, quae respondent parti antero-inferiori lobi anterioris, quaeque laminae superiori insistunt orbitae. Mezzofante est specimen evolutionis hujus organi.

Ordo quartus comprehendit facultates cogitantes. Facultates intellectuales, de quibus loquutus sum, rerum et ipsarum qualitatum cognitionem praebent, sequentes ideas relationis offerunt, alias facultates omnes dirigunt, et rationem constituunt.

36 Comparatio, analogiae cognitio, similitudinum et dissimilitudinum studium (*comparaison*). Organon respondet parti antero-superiori et mediae frontis, ut plurimum eo loco ubi capilli incipiunt.

37. Metaphysicea, inductionis, abstractionis facultas (*causalité*) inter organa analogiae

utriusque lateris est, infra capillorum radices. Haec facultas nos ducet quod quodvis phaenomenon, quaevis naturae mutatio causam quandam agnoscat, at dein ad causam causarum ducit.

Organorum activitas pendat a partium structura, ab exercitio, ab aetate, a climate etc. Priusquam judicium de activitate organorum cerebralium proferatur, necesse est, ut praecedens organorum eorundem status agnoscatur. Nimis intensus et productus nisus, postquam partis alicujus activitatem et volumen augere valuit, denique fibras relaxat, et dein inducit atomam, quae saepe auferri nequit.

Quas exposuimus, leges sunt phrenalogiae. Nil mirum si hujusmodi theoria, praegressis psychologicis vigentibus systematibus opposita, plures objectiones inveniret. Revera, quum anno 1796 prima vice Vindobonae Gall suas lectiones edidit, universalis fera opinio sensibus moralibus viscera thoracica et abdominalia dicata censebat, et, dum Pythagora, Plato, Galenus, Haller aliique physiologi animam sentientem et facultates intellectuales in cerebro existere judicabant, Aristoteles illarum sedem cor esse putabat, Vanhelmont stomachum, Cartesius glandulam pinealem, Drelincourt aliqua cerebellum.

Plures inter objectiones, quae phrenologiae adversantur, sequentes notamus:

« Phrenologia hominis libertati opponitur, educationis capacem hominem negat, nec illius

gesta poena digna censet. » Id vero Phrenologia non admittit; immo docet quod, si et homines propensiones habent, quae animalium quoque propriae sunt, facultatibus etiam elatis. nobilibus praediti sint, quae primas juxta rationis, legum, religionis imperium dirigere valent; quod harum evolutio instinctuum impulsus moderetur: quod, quum exercitium istius facultatis vel alterius repressio ex nostra voluntate pro maxima parte procedant, nostra libertas et actionis nefariae poena non destruatur.

Praeterea cerebrum illiusque circumvolutiones immediate ideas non producunt, quae ab anima procedunt, sed uti instrumenta consideranda sunt, quorum ope quibusdam sub circumstantiis anima suas facultates exercet.

« Quaevis pars cerebri vel destructa vel quomodocunque laesa est quin facultates peculiares laedantur. » Facta ab adversariis relata non semper exacta et fide digna sunt, praeterea etiamsi id aliquando contigerit monendum quod, quum organa in cerebro duplicia sint, laeso organo peculiari functioni dicato in hoc latere, alterius hemisphaerii organon suas functiones exercere valuerit.

Sed praeter has objectiones aliasque, quae facile refellantur, aliae adsunt, quibus responsum logicum praebere phrenologiae negatur. Si ex evolutione organorum facultates variae intenduntur, quomodo ipso facto nefastus homo suam relinquit vitam et virtutis juxta leges actiones exercet? quomodo in insania aegri


propensiones, instinctus praegressae aetatis subito mutant? quare, inter facultates a phrenologia admissas, quaedam adsunt propensiones, quae a statu culturae, a conditione nempe fictitia non naturali, originem sumunt? etc. etc. Hisce oppositionibus responsum ignoro.

Si ergo phrenologia dubia quaedam comprehendit, si aliquid adhuc remanet, quod observationibus et argumentis indiget, fanatici solummodo et crudeles ei miserorum vitam committere possunt, et exemplum renovare judicis e cranii tuberibus vitae aut mortis sententiam ferentis, cujus specimen superius retuli.

Phrenologia a prima institutione progressus plures obtinuit, praejudicia plura, ignorantiam, malam fidem vicit, sed hucdum scientiae dignitatem vix meretur. Quare?... In posterum forsan id eveniet; si phrenologi a caeco fanatismo non ducantur, nec veluti histriones aut agyrtae, uti nuperrime, spectaculum in scenis repraesentent, propriis sententiis contumelias, pugnos et plagas adjicientes: firmum sane argumentum!

TABULÆ EXPLICATIO

1. Biophilia.
2. Gula.
3. Amor sexualis.
4. Philogenesia.
5. Topophilia.
6. Amicitia.
7. Certaminis desiderium.
8. Destructionis desiderium.
9. Astutia.
10. Proprietatis sensus.
11. Ars mechanica.
12. Sui ipsius aestimatio.
13. Gloriae studium.
14. Circumspectio.
15. Benevolentia.
16. Theosophia.
17. Perseverantia.
18. Conscientia.
19. Spes.
20. Mirabilium studium.
21. Ingenium poëseos
22. Hilaritas.
23. Imitatio.
24. Memoria rerum.
25. Memoria physiognomiae.
26. Extensionis cognitio.
27. Ponderis notio.
28. Coloris cognitio.
29. Memoria topica.
30. Symmetriae ingeniam.
31. Calculus.
32. Memoria gestorum.
33. Temporis sensus.
34. Melodia.
35. Memoria verborum.
36. Comparatio.
37. Metaphysices studium.



THESES DEFENDENDÆ

I.

Cranii forma a cerebro determinata haberi potest.

II.

Animalia quemdam perfectionis gradum cura humana attingunt.

III.

Hypotheses in medicina utiles immo saepe necessariae.

IV.

Nulla inter albuminam et fibrinam differentia, praeter cohaesionis.

V.

Plures morbi contagiosi febriles eodem tempore et aegra haberi possunt.

VI.

Cutaneorum morborum nosographiae, quae tot classes constituunt quot sunt morbi formae, nil prosunt, immo nocent, forma enim quovis fere in aegro differt, immutata essentia.

VII.

Non nuptae, quae matres fiunt, facilius abortum patiuntur.

VIII.

Ut abortus voluntarius et infanticidium praecaveatur, nil magis prodest quam publica misericordia erga puellas, quae amoris fructum in utero gerunt.